

Regnum , plenam & absolutam Sanctorum Beatitudinem distulit . Plenam , inquam : neque enim ille inficias it , quin statim a morte Justorum & Injustorum occultum & peculiare Judicium Animarum fiat , complendum postea & manifestandum in postremo , quum omnium Corpora resurgent . Immo non diffitetur , illis Felicitatem , & ipsis Supplicia gravia post mortem contingere . In Lib . de Anima cap . 58 . ita is Burnetum nostrum , ut puto , alloquitur : *Velis , ac nolis , & Supplicia jam illic , & Refrigeria . Habet Pauperem & Divitem ; id est Evangelicum Lazarum , de quo etiam dixit in lib . de Jejunis cap . 16 . Sed nec apud Inferos admonitus cessavit , ubi in Dicie quidem convivia Cruciantur ( scilicet in flamma ac tormentis ) in Paupere vero Jejunis recreantur . Paria habet in Lib . de Resurrectione Carnis cap . 17 . Pergit quoque in prælaudato Lib . de Anima : Cur enim non putas ( Burnet ) Animam & Puniri , & Foveri Interim , sub exspectatione utriusque Judicii ? Quia salvum debet esse , inquis , in Judicio divino negotium suum , sine ulla prelibatione sententia ; tum quia & Carnis offerienda est restitutio , ut confortis operarum atque mercedum . Quid ergo fieri in tempore isto ? Dormiemus ? Ita sane respondet Burnetus . Cui Tertullianus : At enim Animæ nec in viventibus dormiunt : Corporum enim Somnus , quorum & ipsa mors . Aut nihil vis agi illic ? Ne longius sermo elabatur , singula referens , satis erunt haec patica . Postquam dixit , Animam & in carne , si velit , dolere ; si velit , gaudere ; subdit : Hoc si ex arbitrio suo in vita , quanto magis ex Judicio Dei post Mortem ? &c . Ergo propter hoc congruentissimum est , Animam , licet non exspectata Carne , Puniri . Si obsequitatus pios & benevolos , sine Carne recreabitur &c . salvo Resurrectiōnis plenitudine , per Carnem quoque . Perspicis igitur , quantum hac ex parte Burneti somniis adverteretur ejus commilito Tertullianus . Qui & cap . 17 . de Resurrect . Carnis , iterum contendit , Animas ( quas errore non levi Corporales profitetur ) Torqueri , Foverique apud Inferos , licet nudas , licet adhuc exsules carnis : quod probavit Lazari exemplum . Proinde addit , Animam sine Carne & felicitatis , & supplicii capacem esse , Idcirco & Patitur apud Inferos ; prior degustans Judicium , exspectans tamen et Carnem , ut per illum etiam facta compenset , cui configitata mandavit . His positis , jam sequitur ex præmisso Teoremate Primo , immerito non fecus a Tertulliano , atque a Burneto Animabus Justorum negari Beatitudinem in Cœlis ante universorum Judicium , quando & sine Carne jam Improborum Animæ torquentur & excruciantur in Inferis .*

Deinde ex Burneti opinione impugnata sese convertit effrene Tertulliani ingenium ad oppugnandam illorum quoque Catholicorum sententiam , qui , ut non semel vidimus , jam tum arbitrabantur , nihil obstare Justorum Animabus purgatis , quo minus in Cœlum ferantur . Igitur inquit eodem in Libro de Anima cap . iv . Habet & illos cubito pellere ( id est irridere ) qui satis superbe , non putant Animas Fidelium Inferis dignas , servi super Dominum , & discipuli super Magistrum ,